

excusseris, plurima tamen in monumentis veterum, Statuis, Imaginibus, Numis, Inscriptionibus, immo & in ipsa historia, longe alias ob causas, ac sensu magnopere diverso, dicta, & ficta suis ab authoribus fuisse, ac hodie ingenio nostro assequi datur. Dicit de Numo a me picto commodissime posset, *Stolonem* III Virum, pingendo Tutulum, & Ancilia, prædicare voluisse, unum avorum suorum, aliquando *Sahari* Sacerdotio inclitum. Obstare autem videtur, quod gens ejus *Licina* plebeia fuisse tradatur, *Lucano* interim de *Ancilibus* canente :

- - - - - Sic illa profecto
Sacrificio cecidere Numæ, quæ lecta Juventus
Patricia cervice movet.

Sed relinquamus hoc mysterium in medio, quod nullo damno nostro fecerimus.

DIALOGUS IX.

Augurum, Epulonum, Flaminum,
& aliorum Exempla in Numis.

P U P L I U S.

NUmus decimus Tabulæ tuæ *1mæ*. aram sistit flammantem ad quam victimarius hostiam adducit, scilicet capram, I. TAB. I. cuius collum sero appenso, exornatur: retro aram stat augur cum lituo. N. X. Infra legitur: NUM. a POMPII. ius, literis M. ac P. contractis. TULL. Bene singula. Facturus autem nunc, atque deinceps, ut pleraque Sacerdotum Romanorum genera e Numis cognoscas, *Augurem* primum hoc in denario præfenti deducere in scenam tibi volui. Reddidit eum *Pati-*

nus in Gente *Pomponia* p. 223. cujus adversa caput laureatum habet, cum epigraphe: *Lucius POMPONIUS Molo*. Ignotus hic erat *Ursino*, cum in *Pomponia* Gente equestri, quæ ex *Pomponie*, filio *Numa Pompilii* Regis, originem suam deduxit, *Pomponii* duntaxat, *Pinarii*, *Calpurnii*, atque *Mamercii* prodantur. Recte autem, qua foret origine, natus, docere visus est per Sacrificium *Junonis*, cui *Sospita* nomen, & uni solique capra fiebat: item per Augurem additum, nomenque *Numa Pompilii* subscriptum.

II. *PUBL.* Recolo ex Dial. XVIII. Exercit. Proæm. n. 2. huic *Junoni* ab antiquissimis temporibus Aboregines apud Lanuvium sacra fecisse per Capram, alias abominabilem, nullisque aris adhibitam, ut malum, quod hæc portenderet, propitia Dea longe averruncaret. *TULL.* Rite meministi. Agebatur hoc *Junoni* festum Februario mense, communi Populi expiationi a *Numa* institutum: cui & Augures, & alia pleraque Sacerdotia, initium suum debuerant. Quæ ipsa videtur Auguris hic additi ratio. Sed hujus nobilior longe imago præfertur a *Golzio* Tab. XXXII. n. 12. in argenteo *Lepidi* Numo: in cujus aversa hic Triumvir Reipublicæ constituendæ Eques in Statua proponitur habitu Auguris, capite, totoque corpore velatus, dextra lituum ostentans. Infra cernitur prora navis rostratæ inter voces: EX *Senatus C.onsulto*.

III. *PUBL.* Qui sequitur, Numum undecimum adeo non cal-
TAB. I. leo, ut enunciare haud audeam. *TULL.* Novum hic Sacerdotii
N. XI. genus tibi pando, quod si rite demerearis, opipare cœnabis. *PUBL.* Hoc sibi quid velit? *TULL.* *Mystra* Epulorum hic prodit. Nempe ut omnia, quæ Dei sunt, ad morem hominum traderent Romani, Epulas etiam, easque splendidissimas, Diis tam annuo ritu, nullaque necessitate, quam prementibus calamitatibus, extra ordinem instruxerunt. Annuæ fiebant Idibus Novembris *Jovi* capitolino, invitatis ad easdem *Junone* conjuge, & filia *Minerva*, eodem in templo cultis, ut haberet, quibuscum tempus falleret. Sæviente peste, relata clade ab hostibus, aut alia in adversitate, cum *Dii* neque supplicationibus, neque hostiis, neque ludis, aut votis placari satis viderentur, addebantur & Epulæ, summaque cum profusione ap-
para-

parabantur XII. Diis magnis, vel consentibus, per sex mensas apparatus: ubi convivarentur Jupiter & Juno, Neptunus & Minerva, Mars & Venus, Apollo ac Diana, Vulcanus & Vesta, Mercurius ac Ceres.

Diis quidem *Lectisternia*, i. e. scamna, & culcitrae, pulvinaribus mollibus instratae, Deabus autem, *Sellisternia*, i. e. Sellae pariter percommode, ornataeque praeparabantur. Mos quippe Romanus tulerat, viros mensis accumbere, foeminas assidere: vel, quod indecorus videretur accubitus foemineus, vel, quod viri hoc pacto se digniores demonstrarent. Curabant has Epulas primum Pontifices: dum vero crebriores fierent, earumque splendor & opulentia curas poscerent graviores, constituebantur Triumviri, demum & Septemviri *Epulonum*, opipare abinde pasti. Si namque diis a nectare caelesti isfames nulla superesset, hi Epularum curatores eorum loco devotionem populi jucunde absumebant. Non minimae dignitatis hoc collegium fuisse, inde discas, quod *Plinius* ita Imperatori Trajano supplicaverit: „Rogo, ut dignitati, ad quam me provexit indulgentia tua, vel „Auguratum, vel Septemviratum, quia vacant, adjicere digneris.

IV.

Nunc porro Numum praesentem jucundius intueberis: qui apud *Patinum* in Gente *Caelia* p. 79. & paulo aliter apud *Spanheimium* Tom. II. p. 85. vulgatus est. Adversa caput nudum exhibet ejus, cujus nomina describit: *Cajus* COELIUS CALDUS COS. *ul.* Ante collum ejus cursitat aper: retro cervicem erigitur militare vexillum, in quo legitur: *HISpania*: cujus utriusque ratio certa nondum constat. Aversa lectisternium exprimit, sive lectum, Jovi, aut alteri Deo sacrum, quem Epulo velut actu sternit. Utrumque latus, in signum triumphi cujusdam relati, stipatur Tropheo erecto: ubi & utrinque columnatim descendendo scribitur: *Cajus* CALDUS IMP.erator AU.gur X.vir. lecto contractis literis L. ac D. insertum est: *Lucius* CALDUS VII.VIR EP.ulonum. Infra legitur: CALDUS IIIVIR, scilicet Monetalis: qui duos, nisi tres majorum suorum unico argento laudabat, eorumque dignitatibus gloriabatur.

V.

PUBL. Opportunum est sane, multumque historiae commodum, Numos *Quiritum* non, uti nostros, perpetuis tesseris

VI.

gentilitiis constare, sed omnes prope Magistratus, quos gesserant, Sacerdotia, ac alia munera, cum actis præclarioribus, veluti Tabulas quasdam æternas referre. Tanta enim in religione Romæ deliria quis crederet, nisi Numi convincerent? Avidus audiam, quid me ex Numo duodecimo doceas. TULL. N. XII. Protulerunt illum *Patinus* in gente *Postumia* p. 232. & *Spanhemius*, post alios, Tom. II. p. 131. In adversa est caput fœmineum *Dianæ*, cum *Luna* crescente supra se, item arcu, & pharetra post humerum, epigraphe nulla. Quam tibi pinxi, averfa sistit cacumen montis *Aventini*, qui erat Romæ, & aram ardentem ex *Dianæ* templo ibi erecto. Adstat *Decemvir*, aut *Quindecim Sacrorum faciendorum*, qui bovem victimarum, hic inornatum, extenta super eum dextra lustrat, i. e. ramusculo quodam intincto aqua conspergit. Quamvis alii in manu *Quindecimviri* non frondem aliquam lustralem, sed sertum conspiciere videantur, quo victima exornetur. Illustrat hanc imaginem *Horatius* canens:

In Carm.
secular.

Quæque *Aventinum* tenet, Algidumque
Quindecim *DIANA* preces *Virorum*
Curet.

Sacerdotem prodit epigraphe: *A.ulus POST.umnus A.uli F.ilius S.ergii N.egos ALBIN.us*. Redhibet itaque hic Numus *Apollinarium* ludorum sacrum, qui *Diana* simul fiebant. *Quindecimviro* Librorum *Sibyllinorum* pariter ludorum faciendorum curam gessisse, *Dialogo* priori tibi dixi.

VII.

TAB. I.
N. XIII.

PUBL. Eodem spectare putem Numum tertiumdecimum, utraque sui facie a te pictum, cum geminam *Quindecimviro* rum tesseram referre appareat. Adversa enim capiti fœmineo, partim revinctis, partim fluentibus crinibus, diserte subscriptum habet nomen: *SIBYLL.a* Averfa Tripodem sistit, imposito urceo, stellis duabus pone micantibus. Epigraphe hinc & inde deorsum posita est. *L.ucijs TORQUAT.us IIIVIR.* Errare hic me nullibi putem. TULL. Ita fere hunc *Denarium* expræsit Ill. *Spanhemius* II. p. 86. apud *Patinum* vero in gente *Manlia* caput adversæ circumdat sertum laureum, & averfam rami duo nodosi, quasi *Torques*: quo pari ornatu hunc Numum extulit

lit

lit Cl. *Harduinus*, sensu autem Antiquariis omnibus adverso eundem exponens.

Cæteri namque communi consensu arbitrabantur, has imagines undique planas id innuere, quod primo referunt obtutu, illa *Livii* sententia nixi; „ Decemviros Sacris faciundis, carminum Sibyllæ, & Fatorum hujus populi interpretes, Antistites ejusdem Apollinaris Sacri, læremoniarumque aliarum, Plebeios videmus. „ Solus autem hic omnibus obstrepit *Harduinus*, & scribere ausus est; „ Qui *Sibyllam* hic pingi putant, magno ducuntur errore. „ Undenam, obsecro? Audi prægnans rei momentum. „ Si *Sibyllam* vellet monetarius intelligi, cur SIBYLL. tantum scriberet, non integrum nomen *Sibylla*? „ Hic igitur aries ingenium Cl. Viri sic pupugit, ut ex consulari Numo Romano faceret Imperatorium, & Norbonensem. *Apage*, ait *Sibyllam*, & in capite fœmineo intuere genium *Byzantii*. Epigraphem lacera, & lege; *Severus* *Imposuit Byzantii Legiones*: cum videlicet a victoria Parthica rediret, quam fertum laureum denotat. Tripodem ipse pariter pro symbolo Sacerdotis Apollinaris agnoscit, sicut & urceum: Stellas vero pro gemino Sole vendit, tanquam indices Orientis & Occidentis, qui Romano Imperio suberant.

PUBL. Magna omnia ingenia veneror: præfiscine tamen dixerim, videri mihi, magnum hunc virum, quando ex tam levi ratiuncula, quam obtendit, ætamen a natura imaginis & communi sensu Eruditorum, publicam & maximam discessionem facit, contra mentem locutum, viris doctis ludum duntaxat facere constituisse. Quoties namque Monetarii decurtarunt nomina sine ulla spatii angustia? quod Romanis perinde, dum Numos ac dum lapides conderent, ex more fuisse videtur. Ubi ulla *Byzantii*, ulla legionum nota? & ubi hoc in Numo *Spanhemiano*, quem tu pinxisti, & qui sero laureo caret, victoriæ index? *TULL.* Paris libertatis *Harduiniana* deinceps non unum tibi specimen dabo. Diffiteri quidem non licet, quibusdam in Numis epigraphes ita esse obscuras, literis male collocatis corruptas, vel imaginibus penitus dissonas, ut *Oedipo* perarguto sit opus: quem proinde se præstare vir Cl. toto ingenio ac sæpe summa cum fama sua contendit. Sed facilitas ejus, Numos quo-

In Plin. suo TAB. X. n. 9. ad Tomi II. P. 644. not. 4. VIII. Libr. 10. c. 8.

IX.

quoque planissimos prorsus peregrinum ad sensum detorquendi, justum facere metum videtur, ne Apollo eidem non undique tibia dextra insonuerit.

X. *PUBL.* Numus Decimus quartus, ni fallar, Martem exhibit sedentem cum hasta, cui dextra protensa Tutulum gestat, accubante sibi scuto, in quo lego: *QUIRIN. us.* Pone hinc, & inde deorsum: *N. FABI. us. PICTOR.* Infra: *ROMA.* Ad literam *N.* adhæreo. *TULL.* Hunc Denarium *Patinus* in gente *Fabia* p. 107. & *Spanhemius* II. p. 86. iisdem lineis reddiderunt. Adversa caput Romæ galeatum refert, addita litera *N.* quam idem innuere reor, quod in Aversa prænomen videlicet *N. umirius.* Figura hic assidens, Mars non est, sed juxta *Ursinum* quidem *Quirinus*, i. e. *Romulus* in Deum consecratus, aut verius juxta *Spanhemium*, ipsa, quæ subscripta est, *Roma.* Tutulus, i. e. Pileus laneus cum infixio superius apice, unde fila quædam pendere deberent, & *Quirini* nomen scuto insertum, denotant, hunc, aut alium quempiam *Fabiorum*, aliquando *Flaminem Quirinalem* fuisse.

XI. *PUBL.* Exhibuisti mihi olim in *C. Memmii* Numo Caput *Quirini* senile, laureatum, cum barba cincinnata, Exercit. Proam. Tab. V. n. 2. cum quo figura hic sedens plane nil simile habet. Ibidem pariter Dial. X. n. 13. dixisti nihil etiam de *Flaminibus.* *TULL.* Hic paulo plura restant. Erat hic novus ordo Sacerdotum, quorum quilibet peculiaris Dei templum, & Sacra, per se curabat. Primus *Dialis* institutus quasi Dei supremi per antonomasiam, videlicet *Jovis*: mox *Martialis*, nempe Martis. Deinde a morte *Romuli* etiam *Quirinalis*, dum huic Regi consecrato *Quirini* nomen tribueretur. Hi tres erant *Flamines Majores* e Gente *Patritia*: qui postea multi successerunt, poterant etiam esse *Plebei.* *Julio Casare* adhuc viventi *M. Antonius* Flamen datus jam est, Imperatoribus aliis a morte sua, & apotheosi, uti *Hadriano*, *Antonio Pio* &c. Tessera eorum propria fuit Tutulus cum apice: qui si alicui inter Sacra capite exciderit, vel ob crimen ereptus fuerit, periit etiam dignitas. *Dialis* extra Domum suam eum semper gestare debuerat. Ultra biduum Urbe abesse, matrimonium alterum inire, cultrum argenteum deportare, exercitum proficiscentem, vel Classem portu

Acerr.
nov. P. I.
p. 69, sqq.

solventem intueri, togam puram unius coloris induere, Flaminii veita omnia erant, uti & jurando quidquam asserere, summæ fidei causa, quæ verbis ejus habebatur. Relictam ipsius in viduitate perstare oportuit, semperque meris vestibus lineis uti, quoties præterea cælum tonabat, orando instare tenebatur, donec serenum rediret.

PUBL. Facile jam capio Numum Decimum quintum, ubi Martem nudum prope stantem video cum hasta transversa, qui dextra extenta Victoriolam parvulam gestat. Post illum Vir corpore velatus, aperto tamen pectore, adstat, qui dextra elata Tutulum super caput Martis effert, lava clypeum sustinet, in quo literæ: C. V. quas exponere tuum erit. Epigraphe sic habet: L. *ucius* LENTULUS FLAMEN MARTIALIS. Multa cura levassent Monetarii Romani, si hanc vocum integritatem ubique adhibuissent. *TULL.* Licuisset subinde: sæpius vero defuit locus. Commodum interim est, quandoque id saltem eos præstitisse, ut voces integræ decurtatarum dubium tollerent. Numum hunc denuo *Patinus* in gente *Cornelia* p. 85. & *Spanhemius* pariter II. p. 85. habent, sed moduli diversi: ubi cumprimis apud *Patinum* in clypeo sunt literæ C. L. Quid porro characteres isti designent, neuter exposuit: hinc eosdem & ego in medio relinquo. Nec etiam sculptorem in alterutra harum imaginum a vero aberrasse, cum fiducia affirmo. Adversa caput refert *Augusti*.

XII.
TAB. I.
N. XV.

PUBL. Sequente in Numo an *Salium* intuear in Viro togato, qui petasum alatum capite, dextra caduceum, lævo brachio clypeum gestat? addita epigraphe: AUGUSTUS DIVI F. *ilius*. *TULL.* Pinxi tibi hunc numum ex *Aen. Vico* argento *Augusti* 56. ubi adversæ non exhibentur. Aliter autem hic Denarius pingitur apud *Patinum* in Gente *Sanguinia* p. 247. Refert enim in adversa caput laureatum *Julii Caesaris*, imposita eidem Stella crinita. Circumlegitur: M. arcus SANGUINIUS III VIR. In Aversa, præter epigraphen, nihil a meo diversum, quæ autem habet: AUGUST. us DIVI F. *ilius* LUDOS SAE. culares: ubi suppleas, F. *ecit*,

XIII.
TAB. I.
N. XVI.

Dixi tibi de his Ludis Part. II. Dial. XVII. n. 10. sq. cumprimis in Apollinis, ac Dianæ, sive solis, & Lunæ, qui Annos

XIV.

& Secula conficiunt , aliorum deinde pariter Deorum in honorem , tribus diebus , & noctibus totidem factis. Hi cum Felicitatis , immo Latitiæ publicæ causa celebrarentur , non quadrabant ad ea *Salii* cum *Ancilibus* : quibus circumlatis inauspicata omnia fieri censebantur. Neque is , qui in hoc Numo adstat , ut *Salius* , tutulo integitur , vel clypeum incisum ad Ancilis formam sed rotundum defert , petaso atque caduceo , Mercurium imitatus , ac felicitatem præsignans. Alium itaque hic Sacerdotem adstare arbitraris , sæcularibus Ludis adhibitum , & forte Mercurii Popam.

DIALOGUS X.

De vestalibus Virginibus , & Fecialibus.

PUBLIUS.

I.

TAB. I.
N, XVII.

Qui præcox nimium in agnoscendo *Salio* fui , facili similitudine ad morem tironum deceptus , minus tamen desipere vereor , dum in proximo , Numo *Vestalem* cum lampade sedere existimo , quæ ex nomine describitur ; VESTALIS. An & hic aliud aliquid subest ? *TULL.* Juxta *Ursinum* quidem , a *Patino* recognitum , in gente *Claudia* p. 75. unde hunc Denarium excepi , falleris in nullo. Adversa ejus capite nitet fœmineo , floribus ornato , ut apparet , flore alio post cervicem conspicuo. Epigraphe : C. *ajus* CLODIUS C. ai F. *ilius*.

II.

Orat. pro
M, Cœlio.

In Virgine hic sedente *Ursinus* agnoscit *Claudiam* Virginem vestalem , de qua *Cicero* , itemque *Suetonius* , cum primis autem *Valerius Maximus* prædicant : Eam cum *Marc. Appius Claudius* Pater ejus (*Suetonius* Fratrem dicit) injussu populi triumpharet jam jamque a Tribuno plebis e curru raperetur , illico accurrisse , & es-